

p.

# Sächsische Landesbibliothek Dresden

Handschrift  
Druck

*Art 2014, 2*

## Benutzungsbedingungen :

- Von Veröffentlichungen mit Forschungsergebnissen, die auf dem Studium der vorliegenden Quelle beruhen, ist durch den betr. Autor ein Freixemplar (Belegexemplar) unverzüglich der Bibliothek zuzuleiten.
- Jede Anfertigung von Kopien der Quelle, auch handschriftlicher Art, setzt die Unterzeichnung einer Verpflichtung voraus.
- Publikationen der Quelle selbst erfordern die Genehmigung der Bibliotheksleitung. Diesbezügliche Anträge sind zum frühestmöglichen Termin schriftlich einzureichen.

## Benutzer der Handschrift/des Druckes :

Datum	Name und Adresse des Benutzers	Art der Benutzung (eingesehen, verglichen, teilweise oder ganz ab- geschrieben usw.)	Zweck der Benutzung, Hinweise oder neue Ermittlungen zur vorliegenden Quelle

Aus dem Familien-Nachlaß Pescheck.  
Durch Herrn Pfarrer i. R.  
Werner Pescheck der SLB  
1977 als **DEPOSITUM** überlassen.

*M. P.*

*Q. D. B. V.*

**ARITHMETICAM  
CONNUBIALEM**

in

**NUPTIIS AUSPICATISSIMIS,**

*VIRI*

cum Tit.

**DN. M. CHRISTIANI  
PESCHECKII,**

Collegae de Gymnasio Zittaviensi  
longe meritissimi,

**SPONSI,**

nec non

*VIRGINIS CASTISSIMAE,*

**MARIAE ELISABETHAE,**

**SPONSAE**

Tit.

**DN. JOHANNIS Gottlob HACKII,**

J. U. Cand. & Civis laudatissimi

Filiae ut unicae,  
sic dilectissimae

Zittae Lusatorum

*d. 10. Januarii A. O. R. M DCCCVIII,*


solenniter celebrandis,

gratulabundo applausu

delineare voluit

**M. Adam Erdmann MIRUS,**

Con-R.



Zittaviae, Typis Michaëlis Hartmanni.

I.

Amor semper numerat.

Addit & subtrahit,

Multiplicat & dividit.

Addit, ut augeat,

Auget, ut conservet.

Conservat, ut posteritati relinquat.

Additionem tamen dixeris Subtractionem,

quia amor alteri parti eripit,

quod alteri tradit;

nec traditum relinquit,

sed suo tempore repetit.

Tanto tamen temperamento inter ambas partes agit,

ut nec privata doleat sua damna,

nec aucta jactitet laeta trophaea.

Et quoniam Multiplicatio est compendiosa Additio;

amor toties multiplicat,

quoties addit.

Si partes multiplicationem progredientem minus intelligunt,

progressam admirantur,

cumulatum ex parvis acervum stupent.

Multiplicationem jucundam

jucunda reddit Divisio,

dum amor inter pares

impria distribuit officia.

Quae enim altera pars suppeditat,

altera infucata fide recipit,

recepta in suppeditantis commoda vertit,

ut in altum opus excrecant.

SPONSE EXOPTATISSIME,

hactenus numerasti & non numerasti.

Numerasti, dum numeros docuisti alios.

Non numerasti, quia tristem viduitatis unitatem retinuisti,

Haec enim principium numerorum, non numerus est.

Si numerus infert multitudinem haec eam nescit;

Et, si in partes resolvi potest, unitas nullas habet.

Attamen nunc vertis unitatem in numeros,

annuente numerorum autore,

succinente amore

& stimulante aetate,

sapientissimeq; pulcrum meditaris opus,

quod felicissime cupis exsequi.

Quare adde

dum pars altera amori nihil subtrahit.

Adde parum parvo

ne festinando parum proficias;

& successivo labore continua,

quod laetus intueri cumulatum opus cupis.

Nihil subtrahe nisi mala,

quae Familiae nunquam addita,

subtracta semper efflagitas.

Multiplica cum Socia dilecta,

quae coelum multiplicare jubet.

Multiplica pietatem,

ut multiplex ipsi benedictionis abundantia respondeat.

Multiplica laborem

ut sua Familia incrementa capiat,

41

Multiplica amorem,  
ne dulces amoris fructus unquam frustra desideres.  
Divide cum ea officia  
quae affectus indivisi cupis esse symbola, certissima.  
Acquire, ut illa custodiat,  
Suppedita, ut dispenset,  
Ordina, ut distribuatur.  
& tota a voluntate Tua pendens,  
omnia bona ad salutem Tuam convertat,  
omnia mala avertat.

II.

Amor omnia metitur ex regulis arithmetice,  
ut numerorum rationes praescribunt,  
proportiones justae efflagitant;  
ne irregularitas ulla  
vel tacite irrepit in societatem,  
vel aperte turbet fidem conjugalem.  
Versatur amor in Regula aurea,  
ut auro chariora ex ista eliciat.  
Non tamen ex numeris tribus datis  
invenire quartum proportionalem allaborat;  
sed ex lege amoris propria  
ex duobus elicit tertium,  
quem libenter intuetur,  
libentius aliis commoustrat,  
libentissime sibi conservat.  
Amat amor Societatis Regulam,  
non tamen nisi inter duas personas factam,  
conjunctas affectu,  
sexu distinctas.  
Collatitia munera in unam confert summam,  
lucrum ambabus partibus reddit,  
prout istius proportio  
proportioni temporis ac munerum collatitiorum respondet.  
Nec a Regula Alligationis abhorret amor.  
Etiam si enim numerum ad numerum non alligat;  
alligat tamen personam ad personam,  
eo firmiore quidem copula;  
quo minus solvi possunt,  
nisi mortis rabie solvantur.  
A Regula tamen Falsi amor abhorret  
quia nihil falsi patitur;  
recipit vero, si interdum quaerenda sunt  
ex falsis vera, ex malis bona, ex injucundis jucunda.  
His nitere regulis  
SPONSE FELICISSIME,  
si solidis niti fundamentis  
futuram salutem cupis.  
Accomoda ad auream regulam cuncta,  
ut auro pretiosiora thalamo respondeant.  
Adhibe numeros integros;  
fuge fractos.  
Sic integra salus recreabit Domum,  
fractam nunquam dolebit.  
Vel, si frangendus ideo numerus  
ut integer prodeat;  
frange celeriter,  
ne numerus quaesitus diu expectationem teneat suspensam.

Frangere prudenter,  
ne ulla fraus obrepat.  
Frangere constanter,  
donec integer numerus iterum appareat.  
Delectare Regula Societatis in posterum,  
qui tristem unitatem tulisti fortissime,  
superasti felicissime;  
ut socius cum socia  
conferenda fideliter conferas,  
lucrum emergens avide expectes,  
impetratum constanter retineas.  
In deliciis habe Regulam Alligationis.  
Quoniam enim divina providentia  
alligatos vos ad castas amoris leges esse voluit;  
Sanctum ejus mandatum impleveritis,  
si ad centrum debitum allegata fuerit  
fides conjugalis, exoptata concordia, felix constantia.  
Regulam Falsi fuge & adhibe.  
Fuge, ne falsus splendor turbet amorem;  
Adhibe, si fallax temporum cursus  
fallere felicitatem speratam cupit;  
& eo diligentius rimare verum,  
quo pulchrior e duris gloria emergit.

III.

Maxima mysteria amor Algebrae adscribit,  
sive quaestio aliqua obscura proponenda,  
sive commode solvenda sit.  
Facit enim sibi facilia,  
quae aliis videntur difficilia;  
& soluto nodo triumphat,  
quem alii putant indissolubilem.  
Totum processum illi aperit  
aequationis & reductionis artificium,  
prout amoris computatio illud requirit;  
nec nisi operatione principali peracta  
acquiescere jubet.  
Algebra igitur delectare,  
SPONSE LAETISSIME,  
qui amore delectaris.  
Quaere abstrusiora & difficiliora,  
ut illis inventis, mens capiat laetitiam.  
Abstrusa primo initio  
in fine aperta videbuntur,  
& difficilia apparebunt facilia.  
Adhibe aequationem,  
si nonnulla minus aequa apparent;  
Adhibe reductionem,  
si quae ab amore videntur aliena.  
Sic numerus ignotus apparebit notus;  
eoque majorem laetitiam relinquet Familiae,  
quo facilius ille inventus fuerit.  
Efficiat numerorum autor  
ut semper numeres,  
numerando tale productum sistas,  
quod Deo gloriosum,  
Amicis hilare,  
Familiae salutare.


Bio K. exp. 31.7.81 Bm

SLUB DRESDEN



3 3442145

Mscr. Dresd. App. 2077, 2



B

Small rectangular label with illegible text.